Zu der

öffentlichen Prüfung

der

5 Classen des Königl. Gymnasiums hieselbst,

so wie

der 4 Classen der Vorbereitungs-Schule,

bittet gehorsamst und ergebenst

um die geneigte Gegenwart gebildeter Jugendfreunde

C. W. Halbkart,


Professor, Rector des Gymnasiums und Ehrenmitglied der schlesischen Gesellshaft für vaterländische Cultur.

Zum Besten des Oekonomus.

Schweidnitz,

gedruckt bei Friedrich Ludwig Biesterfeld's Erben und Jost.

Gegen Ostern 1825.



Observationes

ad locum Plutarchi Pericl. XXVIII. et Livii XXX, 44.

Scripsit

C. W. Halbkart,

Rector.

Suidnitii, typis Jostianis,

MDCCCXXV.

1825

Quum constitutum sit ex jussu supremorum rei scholasticae in Borussia administrandae magistratuum, ut Programmata, quae examinibus Gymnasiorum publicis praemitti solent, alternis vicibus Latino sermone scribantur, itidemque alternis vernaculo, neque semper ab uno eodemque magistro, sed deinceps ab omnibus, qui in superioribus classibus docendi munus habent: nos quidem, quum hanc scribendi seriem auspicaremur, Latino sermoni, tanquam ex privilegio antiquitatis, priorem deberi locum existimavimus. Enimvero paucissimi tantum, eorum quoque, qui aliquando studiorum causa in Academiis versati sunt, — exceptis iis, qui propriam studiis litterarum, praesertim antiquarum, operam dicarunt, hujus sermonis scientia ita sunt imbuti, ut facile Latine scripta legere possint: prospici igitur certoque praedici potest, absque omni et divinandi et vaticinandi arte, paucissimos tantum ejusmodi programmata habitura esse lectores. Sed nil oberit hoc utilitati, quam summi magistratus ex instituto illo redundaturam esse sperant: nempe effervescet certamen inter Gymnasia, interque Gymnasiorum magistros, his ipsis, et passim fortasse litterarum quoque studiis, valde profuturum. Necessitas enim Latine scribendi eos, qui alioquin hanc exercitationem neglexissent, satis utiliter exercebit. Deinde vero res doctae, quae in programmatibus vernaculo sermone scribendis non satis idoneum locum habebant, quippe in quibus captus gustusque multitudinis respiciendus esset, nunc quidem saepius, quam antea, pertractabuntur, quum minime sit timendum, lectum iri eas ab hominibus, qui ejusmodi quaestiones, quas ipsi ne intelligere quidem, nedum solvere possunt, *λογομαχίας* vocant, illique doctrinae putidae, quam Pedantismi nomine recentiores notarunt, accensere solent. Sic ego quoque, ubi in legendis explicandisque auctoribus classicis, vel Graecis, vel Latinis, occurrerit locus aliquis, quem vel dilucidius explicare, vel etiam emendare posse mihi videbor, illa programma-

tis Latini commoditate utar. Quo in genere quae in usum hujus Programmatis, solenne discipulorum hujus Gymnasii, et Scholae Praeparatoriae, examen proclamantis, e pluribus enotanda videbantur, jam proferamus.

Plutarchus in cap. XXVIII. vitae Periclis, enarrata illius felici contra Samum expeditione, pergit, Periclem in honorem eorum, qui in hoc bello cecidissent, orationem funebrem habuisse, et, quum descendisset suggestu, ab omnibus matronis honorifice esse salutatum, sertisque ac taeniis coronatum; unam vero Elpinicen, Cimonis sororem, accessisse sic exprobrantem: Miranda sane, o Pericles, sunt ista, coronisque digna, quippe qui multos bonosque cives perdideris, eosque non in bello cum Persis gerendo, ut Cimon frater meus, sed contra civitatem sociam ac popularem pugnans. Ad quae Periclem, leniter subridentem, hoc Archilochi versu respondisse:

Οὐκ ἂν μύροισι γραῦς ἐοῦσ' ἠλείφεο.

Reiskio merito suspecta erat vulgata haec lectio: manifesto enim exprobrare vult Pericles Elpinicae, quod, quum jam provectioris esset aetatis, fuco tamen unguentisque, ἑταιρῶν more, uteretur. Serio enim, quae dixerat illa, refutare, nihil ejus intererat risum modo audientium captantis. Hoc vero verbis illis sic constitutis assequi non poterat, quippe quae laudem potius, quam vituperium enuncient; enunciant enim, id *non* facere Elpinicen, quod tamen ipsum deridere volebat Pericles. Medela igitur opus est haud dubie: sed Reiskius ita mederi conatur:

Σὺ κἂν μύροισι γραῦς ἐοῦσ' ἠλείφεο

Sic contradictio quidem tollitur, retinetur tamen aliquid ex vulgata, quod ipsum non satis perspicuam habet causam, puta illud ἂν, cui insuper κ praefixit Reiskius, haud dubie, ut minueretur violentia mutationis, adverbio *Οὐκ* litteram istam suppeditante. Satis quidem ingeniose, constaret modo causa particularum κἂν, quae acumen dicterii, si non defringunt, obtundunt tamen. Sed non est, cur vitium in particula *Οὐκ* quaeramus, latet illud potiu in eas ipsa voce, puta ἂν, qua sensum impediri infirmarive diximus. Pro ea si εὖ posueris, plenus sensus efficietur, et qui Periclis mentem apte ac ine sambagibus istis, quibus infringitur, exprimat:

Οὐκ εὖ μύροισι γραῦς ἐοῦσ' ἠλείφεο.

Si consideramus, fragrantia odorum, accedente Elpinice, affectas fuisse nares Periclis, nihil abtius hic dicere poterat, vel potius citare, nam est versus Archilochi. Iam prius etiam cap. X. opprobrio ei dederat, quod res ageret, adolescentiae quidem, haud vero senectuti decoras, his verbis:

'Ω 'Ελπινίκη γραῦς εἶ, ὡς πράγματα τηλικαῦτα δρᾷσειν.

Ceterum Jambos in imparibus caesuris, prima praesertim, etiam spondeum admittere, res est notissima.

Alter locus, quem propositurus sum, integerrimus mihi videtur, neque ulla medicina opus habere; tantumque abest, ut in eum ferrum conjecturale stringam, ut contra varias multorum sanationes tueri coner. Legitur in Livii l. XXX. c. 44. *Nec esse in vos, odio vestro, consultum ab Romanis credatis.* Nexus rei hic est: Riserat Hannibal in senatu, quum, post magnam Scipionis majoris victoriam, grave tributum, quod ille Carthaginiensibus victis imposuerat, jam exigendum esset, inutiles ceterorum lacrimas. Quem risum quum increpuisset Hasdrubal Haedus, defendit se Hannibal: risum suum non esse laetitiae, sed insanientis doloris: lacrimas vero ipsorum, propter pecunias conferendas, etiam magis esse intempestivas. *Tunc flesse decuit*, (sic pergit,) *quum ademta nobis arma, incensae naves, interdictum externis bellis. Illo enim vulnere concidimus.* ***Nec esse in vos, odio vestro, consultum ab Romanis credatis.*** *Nulla magna civitas diu quiescere potest. Si foris hostem non habet, domi invenit: ut praevalida corpora ab externis causis tuta videntur, sed suis ipsa viribus onerantur.* Mirum quantum se torserunt interpretes in explicandis verbis, quae litteris majusculis imprimenda curavi. Crevierius quidem hunc sensum elicere studet: non nocuisse Romanos Carthaginiensibus, dum arma ipsis ademissent, sed quieti ipsorum consuluisse. Neque tamen negat, non satis dignam persona Hannibalis hanc esse sententiam. Subscribo: si enim tam tolerabilis videretur Hannibali conditio Carthaginiensium, ineptum esset, quod de corde suo malis prope amenti dicit. Drakenborchius pro *Necesse* legendum censet *Necesse est*, hoc sensu: Credendum est vobis, eo consilio Romanos arma ademisse vobis, ut, quum non amplius externis bellis pares essetis, civilibus bellis dilaceraremini, quippe quod in nulla magna civitate non fieri soleat. — Qua in sententia ego quidem nihil video, quod Carthaginienses vel melius edocere, vel consolari potuisset. Nemini sane Carthaginiensium in dubio erat, Romanos odio ipsorum sic egisse, neque quisquam id ab Hannibale demum discendum habebat. Ejusmodi igitur ineptias Hannibal dicere non poterat. Walchius interrogative enunciata esse illa ab Livio putat: verum recte monet Heusingerus in versione Germanica, obstare huic interpretationi Conjunctivum in *credatis*. Neque vero lucraremur quidquam interrogatione, si vel decies *credatis* non impediret: difficultas enim in verbis *in vos — consultum* maneret. Rupertius et Heusingerus *nae* pro *nec* legere volunt, et

posterior vertit: Wahrhaftig, ihr könnt es glauben, diese Massregel hat den Römern der Hass gegen euch eingegeben. Deerat nempe illud, ut juramento confirmaretur res, quae per se patebat! Nae patres illi Carthaginiensium, vel in medio dolore, ridere coacti essent, si magno conatu Hannibal nihil, nisi tam triviale quid produxisset. Doeringius tandem, relatis Crevierii et Drakenbrochii sententiis, desperans ita concludit: „Equidem de hujus loci integritate valde dubito."

In hac tanta judiciorum varietate ac discrepantia, quum mihi tota mutandi ratio displiceret, cogitabam, si forte integer esset locus, nec tam de lana caprina, quam de nihilo pugnaretur? et sic pugnari reperire mihi visus sum. Notum est, Romanos notiones, quae *ἐμφατικῶς* pronuncianda sunt, ita in periodo ponere solere, ut ceteris notionibus, minus pondus habentibus, praecedant. Tale igitur pondus suspicandum est in vocabulis *in vos.* Quod si verum est, oppositam quandam haec vocabula notionem involvunt, scil. *in se ipsos.* Sensum igitur hunc esse puto: „Neque vero credatis. Romanos suo vestri odio in vos tantum consuluisse, imo in se ipsos male consuluerunt." Innuit igitur Hannibal, Romanos, *quum nulla magna civitas diu quiescere possit*, Carthagine magnaque terrarum parte subacta, civilibus bellis iri dilaceratum. Quo in genere idem vaticinatur, quod serius Scipio Nasica, quum de suscipiendo tertio bello Punico adhuc disceptaretur, Romanis fore praedixit. Congruunt, quae sequuntur, cum hac Hannibalis de statu reipublicae disserendi ratione, ad quae, ut in praegnante oratione, facilem nobis transitum struent haec Hannibalis cogitata: „Nihil novi nunc patimur, sed quod jam tum, quum nos Romanis dedebamus, animo praecipere potuissemus. Patria deflenda est, non res privata: nos vero nunc demum, ubi de privata re agitur, querimur." *Nimirum* ironice capiendum est, et *sentimus* modeste dicitur pro *sentitis*.

Hic loci, de quo litigatur, sensus et persona Hannibalis, et sagacitate dignus videbatur: sed judicent doctiores.

Das hiesige Gymnasium.

Das hiesige Gymnasium enthält 5 Klassen: Prima, Secunda, Tertia, Quarta und Quinta. In diesen unterrichten folgende 7 Lehrer:

1) K. W. Halbkart, Rector und Professor.
2) K. W. Krebs, Prorector.
3) C. G. Schultes, Conrector.
4) C. A. Vogelsang, College I.
5) I. H. E. Nachersberg, College II.
6) I. A. Lange, College III.
7) K. W. Heinrich, D. College IV.

Uebersicht

der während des verflossenen Schuljahres im Gymnasium behandelten Lehrgegenstände.

A. Sprachunterricht.

1) Lateinische Sprache:

Prima *wöchentlich* 10 Stunden.	2 St. Livius: vom 43ten Capitel des 28ten Buches bis zum 15ten des 31ten. 2 St. Virgilii Georgica vom Anfange bis zum 3ten Buche. 1 St. lateinische Uebungen. Rector *Halbkart*, Ordinarius von Prima. 1 St. Cicero Tusc. Das 3te und 5te Buch. Cicero de off. Das 1te Buch bis zum 12ten Capitel. 1 St. Tacitus Historiae lib. 2. Vita Agricolae de moribus Germanorum, bis zum 23ten Capitel. 2 St. schriftliche Uebungen im lateinischen Stil.